



**Adversus ignaviam et sordes eorum, qui literas humaniores  
negligunt, aut contemnunt, eo quod non sint de pane lucrando  
: declamatio in academia Heydelbergensi sun promotionem  
XIII. magistrorum publice pronunciata XV Cal. Martii anno  
MDXXX**

<https://hdl.handle.net/1874/416759>

*pr*

**ADVER**

SVS IGNAVIAM, ET SORDES  
 EORVM, QVI LITERAS HV.  
 maniores negligunt, aut cōtemnunt, eò quòd nō sint  
 DE PANE LVCRANDO,

Declamatio in Academia

Heydelbergensi

sub promotionem XIII. Magistrorum pu  
 blice pronunciata XV. Cal. Martij.

Anno M. D. XXX.

AVTHORE IOANNE  
 SINAPIO.

MENRADVS MOLTHE  
rus ad Lectorem.

Vt sibi met uirtus est quàm pulcherrima merces  
Quamlibet hic desunt præmia digna sibi.  
Artibus humanis sua laus sic omne per eum  
Permanet, ut misere barbara turba strepat.  
Has non liuor edax abolet, non ira Tonantis,  
Quin illis uirtus iuncta sub æthra uolat.  
Hoc aliàs alij, tamen hæc oratio culta  
Cultu multiplici laudeq; plena docet.

# HVMANIS

SIMO VIRO, DOMINO IOHANNI

LOCERO, MEDICINARVM DO-

ctori clarissimo, Principis Palatini ἀρχία Ἱφ, Pa-

trono suo, Ioannes Sinapius, Græcarum

literarū Heidelbergæ Professor,

Salutem dicit.



A TVORVM ERGA

me meritorum magnitudo

est, Clariss. Doctor: ea tua

bencvolentia, bonitas, &

humanitas, ut facere que-

cūq; uelis, omnia sumopere

cupiā, & paratus sim. Ade-

oq; magnum mihi beneficiū accipere uidear, si quid

usu ueniat, quacūq; in re ubi tibi gratificari possim.

Quare cum nudius tertius ἐν τῷ νεοδιδασκαλίῳ

ἐπιστημῶν à me habita, quanquam rudis admo-

dum oratiuncula tantopere tibi placuerit, ut & eius

relegendæ tibi copiam fieri petieris, & eandem in

uulgus ædere, non præter rem studiosorum adole-

scentum esse iudicaueris, occasionem illam demeren-

dī tui neutiquam negligendam esse duxi. Præsertim

quando fides etiam hoc mea postulat, qua pridem

EPISTOLA

apud te dum adhuc decumberem, si quando melius,  
 ut nunc, Dijs gratia, ualerem, in hoc argumento  
 me declamaturum recepi. Nam ut & πρὸ λόγια illa  
 tum temporis à me pro bonis literis, aduersum istum  
 quisquis fuit superstitiose pius tibi rescripta, neq; te  
 iubente, neq; me sciente sit euulgata, satis opinor  
 nosti. Quinquàm sanè nec me causse huius poeniteat,  
 nec te spero pudeat. Utinam enim bonas literas  
 unquàm sic discere nos possumus, quàm illas om-  
 nibus esse commendatas tu cupis. Verum hoc ue-  
 ritus sum, quod in periculum uenire nunc quoq; sen-  
 tio. Ne qua illiteratus ego literarum patronus illis im-  
 peritia mea citius obesset, quàm prodessem. Siqui-  
 dem ipse met uideo nedum doctiores, quanto firmi-  
 oribus argumentis, quantoq; solidioribus rationibus  
 hæc causa tractari possit, si quis & immensam illam  
 bonorum n̄ studiorum utilitatem, necessitatem, uolu-  
 ptatem quæq; comutatur eruditos ingeniam liberta-  
 tem, & humanitatem scite cōmemoret & exponat.  
 Quæ omnia mihi ne attingere quidem uacauit, utq;  
 uacasset, nunquàm tamen, quæ mea est inscitia, pro  
 dignitate satis consequi potuissem. Verum enim ue-  
 ro cum ea bonarum literarum hodie conditio sit, ut  
 propemodum nemo non præ quæstiosis istis Rabula-  
 rum & circulatorū studijs, quæ πρὸς τ' ἀλατῆτε  
 faciunt

# N V N C V P A T O R I A

faciant, illas posthabeat. Omnino dandam esse operam censeo, quibuscumq; illæ cordi sunt, ne quid Respub. literaria propter id accipiat detrimenti. Quapropter et ego pro meo officio, humanissime Locere, pusilla hæc ante biduum à me publice pronuntiata, tibi patrono literarum maximo, nunc priuatim dedico. Non quòd uel te digna, uel mihi satis facere uideantur, sed quia tibi tantopere nostram hanc opellam probanti, rem gratam me facturũ putauit. Proinde præstantissime Doctor, hanc meam propensam de lueris, deq; te literarũ, literatorumq; omnium patrono benemerendi uoluntatem

boni consule: meaq; opera ubicumq; usus uenerit, ut tibi deinceps.

semper utere. Bene uale.

Edelbergæ ex Contu  
bernio Nouo,

XIII.

Cal. Mart. Anni

M. D. XXX.





**N**VNQVAM SANE  
 crediturus eram, Viri clarissi  
 mi, si quis alius hoc absenti  
 mihi retulisset, ex hac nostra  
 tam exigua semper usa lite-  
 raria pube, tot egregios eru-  
 ditione iuvenes, Philosophi  
 cæ laureæ candidatos, hoc tam calamitoso tempore  
 simul extitisse, præsertim quando & proximis, ut  
 ita dicam, ludis, undecim in hoc certamine corona-  
 tos: & ut taceam, quos Anglica lues intercepta,  
 hæc etiam, si Deos propitios habuerimus, æstate nõ  
 paucos adhuc coronandos esse consydero. Verum,  
 enimvero, cum iam XIII. hosce latus meum dex-  
 tra, læuâq; claudentes, non oculis modo præsens,  
 præsentem cernam, sed ipsemet quoq; ut gnauos &  
 strenuos pugiles uestro suffragio huc ascenderim lau-  
 reaturus, non possum non uehementer & ipsis, &  
 uobis, & omnibus huius harenæ spectatoribus con-  
 gratulari. Siquidem hæc res, si quis illam recta se-  
 cum ratione reputet, & hæc præmia sic uti nuncijs  
 demum qui optimo iure sunt illa meriti, cogitet con-  
 ferri, non leue profecto uoluntatis & studij uestri er-  
 ga bonas literas prouehendas, & horum ad easdem  
 sedulo discendas alacritatis, & amoris esse potest.  
 Et meo

Et meo quidem iudicio uix alio pacto bonarū artium studia, quæ nunc omnium rerum ordine perturbato, tantum nō extincta uel graui atq; antiquo suo ueterino rursus certe rursus sopita iacent, redaccendi uel excitari poterunt, quàm si ea primū maiores natu, quemadmodū uos facitis in honore, iuuenes uero in studio, diligentiq; cura posuerint et habuerint. Quoniam non magis uerū est Apollinis oraculū atq; pro uerbū illud, qd' uulgo dici solet, HONOS ALIARTES. Solus honor enim cū oīm honestarū rerum, tum præcipue studiorū alimentū discipulis si desit, illa nō aliter atq; corpora, quibus uictus subtrahitur, aut plantæ quæ non rigantur, ilico marcescunt et emoriūtur. Diligētia uero et exercitatio, quæ uel præcipuā laudē ex adolescentiū studiosorum uirtutibus merentur, sola rerū oīm parandarū, & cōseruandarum instrumenta sunt. Atq; ut uos quidē ornatissimū, iam non mediocrem ex hac in insigni Athletarū nostrorū uirtute laudem capitis & uoluptatem, quia uestro suorū potiss. præceptorū ductu, cōsilioq; curā uestrā sua iuuantes industria, quales nūc sunt, euasere. Sic nō uulgaris opinor utilitas ad reliquos eiusdem Gymnasij uestri tyrones et cōmilitones nostros, si ex horum æqualium suorū exemplo se comparantes itidem uires ingeniorum suorū periclitati fuerint



E N C O M I V M

ex eorundem laureatione reditura est. Adeo ut iam non sui solum meriti, sed publica quoq; utilitatis gratia, nec tam sibi laudi & honori, quam alijs exemplo & calcari publicum hoc uirtutis suae praeium, quemadmodum fortium uirorum ius est, decerni sibi possint. Sed quia, Praestantissimi Viri, plerosq; uideo nostra tempestate iuuenes ingenijs altoqui minime malis, sole rei faciendae causa Musarum, quas inopes aiunt deserere, animosq; suos ab his ad alios Imperatores & Principes, unde stipendia sperant largiora, temere transferre. Facturum me operae praemium puto, si priusquam hosce designatos nostros insignire pergam, pauca pro ingenij mei, & temporis angustia, de militibus eiusmodi breuiter apud uos dixerim. Dicam uero, quae illi illiberaliter & indigne mihi facere uideatur, quicumq; à liberalibus artibus et disciplinis lucri causa uel abstinent, uel deficiunt. Qua sanè in re, cum me non lateat, quanto cum periculo tam diuersis omnium auribus inseruiatur. Et ego meae mihi tenuitatis, & infertis solus optime sim conscius, & à uobis non extemporalem, sed ad Demosthenis alicuius aut Cleantis lucernas elaboratam orationem expectari sciam. Nulla prorsus ratione, nulloq; modo uestris me uotis ac sententijs parem esse uel respondere posse sentio. Sunt tamen in primis

PRO  
 POSI  
 TIO

## L I T E R A R V M

primis due res, quæ præ cæteris mihi omnibus ma-  
 xime sollicitudini sunt. Vna quidem, procliuis illa  
 plerisq; omnibus uitiorum magis quàm uirtutum  
 in dicentibus obseruatio. Altera uero uestra de me  
 hæcenus ita benigne magnificeq; concepta nunc de-  
 mum, ut uercor, ridicule frustranda spes & expe-  
 ctatio. Quæ propter à principio uos oēs Benigniss-  
 Viri, uehementer oratos tam uolo, ne antiquã illam  
 uestram beneuolentiam & facilitatem, qua alios,  
 qui hoc officio quo nunc fungar ego, ante me defun-  
 cti sunt, omnes audire consueuistis, in me nunc pri-  
 mum claudere uelitis. Neue genus aliquod oratio-  
 nis ornatius elaboratum, quale defecatisimas ue-  
 stras aures, & hunc locum merito deceat, sed quale  
 à perquàm tenuiter & citra iudicium in rhetoricis  
 uersato, requiri debeat, exigatis. Aedificabimus, ut  
 Plautus ait, pro nostris opibus mœnia, quæ ut minus  
 capiant uestram magnificentiam non omnino, nihil  
 tamen, nisi me spes mea fallit, uel hoc solo uoie qd'  
 breu ex aedificabuntur uestrã delectabunt humanita-  
 tem. Acquis auribus atq; animis, ut cœpistis, operã  
 uestram mihi porrò dare pergite. Principio sanè ui-  
 ri iuuenescq; doctis. si mihi res sit cū illo genere ho-  
 minum, qui nescio qua inexpiable nuper insania, di-  
 uina humanaq; omnia miscètes, omnes omnino lite-

ras è medio sublatis & extirpatis uoluerunt, unum  
 me hercle uerbum non commutarem, quoniam &  
 aquam, ut aiunt, inaniter me sumere, uerbaq; mor-  
 tuis me facere scirem. Nunc uero quando & eos ha-  
 beo Dijs gratta Iudices, qui maximi semper literas  
 literatosq; sacere consueuerunt: & illos audito-  
 res, qui quantum distent æra lupinis, non ignorant  
 libere quæcunq; sentio, proferendi potestatem mihi  
 concessam esse puto. Neque adeo primo iam statim  
 in limine diffiteor aut distimulo quàm diuersa pror-  
 sus & impar sit proposita merces & fortuna isto-  
 rum de quibus nunc loquimur studiorum, & qua-  
 rundam rerum aliarum nostro tempore sectatori-  
 bus. Etenim nimis quàm patet quàm longo nunc illa  
 censerint & reiecta sint interuallo, ab eo qua mere-  
 bantur ac debebant, et apud ueteres etiam solebant  
 haberi loco. Quoniam artes liberales colere pri-  
 scis illis seculis maximorum imperatorum ac poten-  
 tissimorum regum erat prouincia, soli q; princi-  
 pes, soli q; ingenui ac nobiles quibus per ocium ac  
 res alias licebat his operam nauabant. Vnde dictæ  
 quoq; sunt artes ingenuæ ac liberales. Homines  
 ignobiles autem propter obnoxias ministerijs for-  
 didioribus conditiones, ad res tam præclaras &  
 egregias non admittebantur. At nunc easdem uix  
 usquàm

## L I T E R A R V M

usquàm uideas abigi lōgius, uix usquàm fastidiri ma-  
 gis, atque in aulis & atrijs principum, procerum,  
 & magnatum, uix usquàm magis exulant, argent  
 aut esuriūt Musæ, Musarumq; cultoribus, eò sæpe  
 rem redire cernimus, ut nisi sit illis aliunde pro-  
 spectum, uix quo tegantur aut amittantur, aut quod  
 edant habere possint. Cum contra, barbarissimos  
 quosque & opibus & honoribus augeri uideas,  
 principum regumq; consilijs atque conuiujs in-  
 teresse, purpura sericoq; uestiri. Census, redditus,  
 ac uectigalia sua statim quotānis capere. Summa  
 denique rerum copia uoluptateq; frui. Fateor Au-  
 ditores Optimi, fateor hæc omnia, & his etiam in-  
 æqualiora fieri, & indigniora, tantoq; crebrius &  
 amplius in studijs literarum, quanto minus uel à  
 fortuna pendent illa, uel cum diuitum luxu conue-  
 niūt. Sed quoniã ut Satyricus inquit, Omnibus in  
 terris quæ sunt à Gadibus usq; Aurorã & Gan-  
 gen pauci dinoscere possunt. Vera bona atq; illis  
 multum diuersa remota Erroris nebula. Non est  
 Auditores, ut idcirco statim literas contemnendas  
 esse putetis, in precio, quia uulgo non habeantur.  
 Etenim nunquàm tam bene cum rebus huma-  
 nis actum est, ut optima plurimis placuerim.  
 Et ea perpetua multitudinis indoctæ consuetudo

E N C O M I V M

fuit ut optimis pessima prætulerit. An nescitis gallū  
 gallinacē cum stercorariū uerrens, nitidam reperi  
 ret margaritā, omnibus gēnis hordei granū reperi  
 re maluisse. Aut esse temere nata creditis puerbia,  
 Nihil graculo cum fidibus, & Nihil cum amarictu  
 no sui? Credite naturā sic cōparasse, ut quo quicq;  
 præstantius est ac nobilius, hoc magis illud ē conspe  
 ctu uulgi remoueri & absconderi. Et quo quicq;  
 deterius est, hoc magis illud à prauis expeti. Semper  
 enim asinus stramen quā aurū mauult. Quamob  
 rem apud Platonem Socrates hoc in primis sapienti  
 fixum decretumq; uolebat, ne quid opinione uulgi  
 commoueretur, immo suspectum haberet, quicquid  
 arridere illi sentiret. Velim autem per uulgos nō ho  
 mines, per pauculos uos intelligere sub quorū pan  
 nis sepe plus latet sapientiæ, quā sub tetricis bar  
 batorum philosophorum pallijs. Sed quoscūq; gna  
 uos & brutos homines, si modo nō fungos aut trun  
 cos appellare potius conuenit, quos à Musarum fo  
 ribus, ut profanos etiam repellit Horatius, etiam si  
 longissimis titulis ac splendidissimis uestibus exculti  
 toti gemmis & auro rigeāt. Quoniam, ut dicit solet,  
 Simia semper simia, quantumuis purpura uestua  
 Multo igitur aliter Ornatis. Auditores rerū precio  
 sarum ratio uobis incunda est, & longe alia uia hæ  
 res.

res reputanda. Nec statim bonum dicendum quia  
 quid fracti ciceris probat aut nucis emptor. Neq;  
 rursus uile putandum quicquid ignauis uentribus  
 non placet. Isti quoniam ex questu rerum omnium  
 pretium statuunt, id demum esse bonum putant &  
 magnificandum, quod magno cum lucro coniun-  
 ctum est, quale quale sit alioqui, ne tantillū quidem  
 curantes illud unum utile, illud expetendum, illud  
 ab incunabilis descendum esse censent. Horumq;  
 pueri tum demum recte docentur, si quemadmo-  
 dum Horatius ait, longis rationibus affem.

Discant in partes centum diducere: ut si rogatus  
 filius Albini, quid de quincunce remota uncta su-  
 perat, respondere trientem possit, heu hic rem ser-  
 uare poterit, inquit. Deniq; ut quibus oculi sunt  
 glaucomate uitiat, quicquid occurrit, glaucum est.  
 Ita illis, quia semel lucri cupiditas eorum animos ob-  
 sedit, quicquid probaturi sunt lucri colorem referre  
 debet. Vos uero longe diuersum *τοις Αἰσ Ἀξ πικ-  
 εῶν* ab illis dissentientes, iudicabitis. Vos cō impu-  
 dentiae nunquam uentis, ut quod honestum, re-  
 ctum, & laudabile semel esse cognoueritis, id turpi  
 lucro, quemadmodum illos facere non pudet, post-  
 ponatis. Imo si uobis ipsis, id est, bonis uiris digne  
 facere uolueritis, non solum pecuniam, sed famam

E N C O M I V M

insuper & uitam in discrimina ponetis, ut eo bono  
 potiamini. Sic Cratetem thesauros suos omnes ab-  
 iecisse in mare legimus, ne quid libere philosopha-  
 ri uolenti, facerent molestiarum. Sic Democri-  
 tus ipsemet oculos eruisse sibi scribitur, ne quid  
 quod à philosophando posset auocare uidendi per  
 illos occasionis esset. Et si quis ex antiquis illis mor-  
 talibus, quando fruges nondum fuerant inuenta, &  
 adesset nunc & persuadere nobis cuperet, Cere-  
 ris munera non esse tanti, ut propter illa relinquen-  
 da glandes essent, an non omnes illam haberemus  
 derisui? Et si quis Indus aut Arabs, aut ex nuper re-  
 pertis insulis aliquis ad nos ueniret, uitrea illa spe-  
 cula nostra, quibus illic carere dicuntur, auro à no-  
 bis redempturus. An non stulti uideremur si com-  
 mutationem illam recusaremus? Item quis ut gem-  
 mas acciperet, silices relinquere nollet, nonne  
 κερφάλιν ἄνδρ ἐγκεφάλου diceretur habere?  
 Quod si igitur parum prudenter faciunt qui glan-  
 dibus fruges, aut speculis aurum, aut silicibus gem-  
 mas posthabent. Quonam pacto sapere putabi-  
 mus eos, qui bonas literas & artes, preciosissimos  
 Musarum thesauros utilissime rei, pecunie non an-  
 teponunt. In prouerbium abiit stultitie mortuus  
 Adonis apud poetriam Praxillam, quia inter res  
 preciosas

## L I T E R A R V M

preciosas in hoc mundo à se relictas, cucumeres numerabat & málà. Quanto Dii boni stultiores isti sunt, qui tenue lucellum non solum inter bona referunt, sed etiam liberalibus artibus præferunt? Numquam igitur committetis, O iuvenes, ut hæc literæ, quibus hæc uita nostra nihil neque præclarus, nec admirabilis habet, ideo uobis neglectui sint, quia propter inscitiam & non intellectum precium earum paruifaciunt eas stolidæ quædam uentris mancipia, in quibus neque iudicium, neque consilium, neq; ratio, neq; ullus denique uel amor honesti uel uirtutis intellectus sentiri potest. Et qui, ut uno uerbo rem omnem complectar, nihilo plus de dignitate literarum adeoq; rerum expetendarum omnium quam uel cæcus de pictis tabulis, aut surdus de numeris musicis iudicare possunt. Multo uero minus unquam committetis, ut quas semel ut bonas expetendas esse merito probaueritis, easdẽ aliò praua lucri cupiditate depulsi, turpiter paulo post deseratis. Lenonũ fortasse farinæ mos hic probetur, non uiris bonis. Apud illos potior haberi solet, qui prior ad dandũ est. Apud uos nihil uirtute, morumq; probitate prius esse debet. Potius hoc itaq; ipsamet ratione uestra testante iustius & uobis dignius est, cogitate, summã potius inopiam & extremã paupertatem cum



studiorum fructu perferendam bonis esse, quam cum  
 earundem iactura pecunie seruiendum. Quia quo-  
 rum omnis ratio & cogitatio in querenda sola pe-  
 cunia consistit, illi contra cōtrouersiam hominum om-  
 nium qui uiuunt, infelicissimi sunt. Et molestias quas  
 in paupertate fugiūt, in diuitijs sexcenties inueniūt  
 grauiores. Perinde ac qui fumum fugientes, impru-  
 denter incidunt in ignem. Valdeq; adeo se fallūt qui  
 quascunq; ob causas, maxime uero ut commodius  
 & minori cum sollicitudine uitam suam transigant,  
 opibus ante congerendis, quam lūeris descendis, ē  
 quibus tamē uita rationes tanquā ex fontibus hau-  
 riende sunt, inuigilant. Aut qui melius tum se libris  
 operam daturos sperant, quando thesauris per fas  
 & nefas undiq; comportatis, omnes iam loculos,  
 saccos, & arcas impleuerint. Primum enim ociū,  
 tranquillitatem, securitatem & fœlicitatem presen-  
 tem stolidi perdunt, & eam quam futuram sperant  
 maiorem, planē nullam consequentur. Citius enim  
 mare uitem ferat, quam diuitiæ talibus ociū pa-  
 riant. Deinde ut plurimum quietes et tranquillitas ad-  
 sit, & supellectilis, librorumq; copia maxima par-  
 ta sit, & nihil illarum rerum omnium desit, propter  
 quas pecuniam ante parandam esse putauerunt. Ta-  
 men discendi uoluptate, quæ nō minus quam forma  
cum

## L I T E R A R Y M

eum aetate solet deflorescere, simulq; facultate quæ  
 longo otio non minus q̄ vires corporis enervatur, de-  
 stituuntur. At qui curis oibus eiusmodi soluti, cete-  
 risq; negotiationibus uacui, neq; lucrū, neq; quæstū,  
 neq; quicq̄ aliud ingenio liberalis hominis indignum  
 spectarint, sed eiecta ex animo omnis desperationis  
 sollicitudine recta fortiterq; dum curent, ut aiunt, ge-  
 nus, uirtutis iter fuerint ingressi, hanc solam sibi  
 præstutientes metam & studiorum atq; laborum suo-  
 rum finem, hi ad omnes postea serendos fortunæ seu  
 prosperæ seu aduersæ flatus uela commode uertere  
 nouerunt. Nam & malorū procellas, utcunq; gra-  
 uiter ingruant, palma magis inuicti sustinere: bonis  
 uero cum sapiente animi moderatione sobrie semper  
 uti didicerunt. Iam cū non raro usus ueniat, ut quæ  
 summo labore, sudoreq; quæsitæ, corrasaq; uelut un-  
 ctiaum longo tempore adseruata sunt, una sæpe ho-  
 ra pereant uniuersa, dum uel clam subtrahuntur à fra-  
 tribus, uel ui eripiuntur à latronibus, uel extorquen-  
 tur à Magistratibus, immo cum non solius sæpe pe-  
 cuniæ, sed omnium facultatum damnum sit facien-  
 dum, ut sit in incendijs: aliquando etiam uitæ ipsius  
 ut in naufragijs, in dirptionibus urbium. Cunq; tot  
 sint casus, quibus parca tot annis bona dilabuntur,  
 idq; ingratis, & sine omni prorsus commodi uel uti

E N C O M I V M

litatis ullius recipiendæ spe, cur ubi hæc animaduer-  
tis, easdem incertas, fluxas, & momentaneas opes  
præ tanto fructu, ac nunquam perituro bono, uitæ,  
salutis, ac dignitatis tuæ, quæ ex honestiss. optimarū  
literarum studijs rectissime instituere, seruare, tueri,  
& augere potes, non postponas. Cur hac tantilla ia-  
tura tam ingentem, & insperatam bonorū omnium  
μυγμακίαν redimere nolis? Ut interim nō addam,  
quod Græcus Senarius habet σοφίαν εἰν μόνον  
τῶν κτημάτων ἀδικῶν τῶν, quod Bias Prieneus  
est testatus, capta patria, bona sua omnia se ferre  
secum inquitens: quodq; multis exemplis edoceri po-  
test, literas eiusmodi thesaurum esse, quem neq; su-  
res compilare, neq; insidijs intercipere, uel aufer-  
re. uel latrones, nec bella, nec incendia ledere, nec  
inuidiosa deniq; uetustas consumere potest. Quam  
uere prudenter, & opportune Comicus P E C V  
N I A M in loco negligere, maximum interdum  
esse lucrum dixit? Quam sapienter & rectè fra-  
trem suum monuit Ascræus ille senex, μὴ κακὰ  
κέρδιον εἶναι κακὰ κέρδιον ἴσ' ἀτισιπ; Quid hic  
omnibus notas ueterum Romanorum historias com-  
memorem? Quid recitem Publicolas, Aemilios,  
Fabricios, Attilios, Curios, Scipiones, Scauros?  
Quid heroicis animos, quibus honestatem cunctis  
diuitijs

## L I T E R A R V M

diuitijs in summa paupertate antetulerūt? Quorum  
 alij fictilibus ē uasis rapa cœnarunt, alij suis manibus  
 humum profciderunt, alij nec unde filias dotarent,  
 habuerunt, alij nec unde sepelirentur reliquerunt.  
 O uere uirtute diuites heroas: O omnibus Cræsis,  
 Cræsis, Tantalus, & Midis ditiores. Hinc ō iuue-  
 nes exemplum capite, hos uiros ob oculos statuite,  
 hos intucamini, hos imitemini, hos exprimate. Re-  
 linquite turbam illam ignauam, pecudum magis,  
 quàm hominum uentris clientem, & pecuniæ man-  
 cipia. Puriss. & amplissimas artes ac disciplinas  
 nullius scæda lucri spe uel sorde contaminate. Nolite  
 quod propter quæstus spem sequi non decet, pro-  
 pter eiusdem frustrationem relinquere. Sed ut nemo  
 non situm tolerare, quam cum periculo sciens aco-  
 nitum, uel cicutam bibere mauult. Vtq; nemo non  
 uel apud Scythas paxillo nudior, ut dicimus, agere  
 quàm prudens Nessæo sanguine tincta, quemadmo-  
 dum Hercules amicri ueste. Sic nemo uestrum qui  
 sibi recte consultum cupit, non quiduis potius,  
 non extrema quæuis & termeria mala perferre ac  
 perpeti, quàm cum tam immenso quod literarum  
 & uirtutis contemptū, neglectumq; sequitur discrim-  
 mine, detrimentoq; uilissimum quæstus studium se-  
 qui decernat.

ENCOMIVM

Nihil hic, ita me Dij bene ament, optimi iuvenes,  
 amplificandi causa, quemadmodum Rhetores solent,  
 addo, sed omnia illa, quae audiistis, ita ut dicta sunt,  
 sentio, & uobis tanquam Sibyllae folia credita, per-  
 suasurae cupio. Nam si quid exornandi causa dicere  
 aut possem, aut uellem, quantus hic mihi, quantus  
 Dij boni campus in diuites inuehendi pateret, quas  
 non ex Satyricis eorum hypotyposes expromere lice-  
 ret, ut macilenta facie pallerent, ut edere uel bibe-  
 re quod habeat praetenuitate non auderent, ut mo-  
 ta ad lunam trepidarent harundinis umbram, ut inhi-  
 erent, indormirent, immorerentur auro. Similiaque  
 alia infinita? Quas ediuerso securitatis & hilarita-  
 tatis in paupertate laudes, quas uirtutes, quae for-  
 tia facta, quot sapienter dicta Philosophorum, quot  
 apophthegmata & prouerbia, quot Poetarum sen-  
 tentias, quot ex sacris, profanisque libris encomia  
 promi possent? Quanta porro dicendi fenestra,  
 quanta copia, quam foecunda seges, quam amplissi-  
 ma materia, densissimaque sylua laudum se uliro ape-  
 riat, ipsam adeo uel obiter saltem praedicare uolenti  
 uirtutem? Quae si quod, ut Plato in Phaedro dixit,  
 manifestum aut uiuum sui simulachrum, quod in ocu-  
 los nostros incurreret, exhiberet Λευοτάτουσ' ἀν-  
 παρτεῖ χεν ἔρωτας. Et dubio procul haud aliter  
 quam

## L I T E R A R V M

quàm magnes ferrum, quàm Cecias nubes ad amorem sui nos esset attractura. Quàm postremo comoda & huic loco penè necessaria fuerat liberalium studiorum cum mechanicis opificijs, & mercenarijs questibus collatio, ut hi solis exercentibus utiles, illa toti Reipublicæ salutaria; hi à solis ualentibus, illa et à senibus & ab ægris tractari possint. Immo in ægritudinibus cum animi, tum corporis penè sola & summa sint remedia, maximeq; uigant & augeantur, cum in questuarijs artibus, quicquid ante partum sit consumatur, ut omnibus alijs rebus dediti serui sint, et tanquàm captiui, solius uero ueræ Philosophiæ professores liberi ac domini. Nam omnes, ut ait Cicero, qui aliquid scire uidentur, tanq; domini timeri solent. Ast hæc et his similia omnia ne prolixitate uobis molestiam adferam, sciens prætereo. Hoc solum ago, ne quis uel praua opinione uulgi, uel peruersa cupiditate diuitiarum, uel inani metu paupertatis tanquàm ueris rationibus deceptus, honestis. disciplinas & artes, ipsamq; adeo uirtutem negligentius; ut pleriq; hodie faciunt, persequatur. Nec insuper multis rationibus ostendere uobis, aut probare laboro, cur liberales artes, & regina illa disciplinarum omnium præpotens, & gloriosa Philosophia uirtutum numero comprehendendæ uideantur. Hoc enim ita

## E N C O M I V M

uos ut solem terramq; nosse, nihilq; de hoc plane dubitare confido. Quis enim adeo deliret, ut quum puteum aut stagnum, riuulū aut fluuium aquae appellatone dignetur, ipsum porrò mare, in quod omnia flumina uelut propriam suam sedem confluunt, aquam esse neget? Quis prudentiam, fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, iustitiam, modestiam, uirtutes esse confessus, omnium earum fontem, & scaturiginem Philosophiam, uirtutem esse diffueatur. Præterea si ea in quoq; animalium præcipua uirtus est, in qua cæteris potissimum præstat, ut in leone magnanimitas, in equo uelocitas. Homo porrò sola rationis & scientias percipiendi facultate cæteris antestat, cur scientias & artes esse uirtutes non credamus? Ego uero auditor es ingenuas artes non modo uirtutes, sed tanto uirtutibus alijs esse dico maiores, quanto uir sapiens & doctus, prudentia, cōsilio, ingenio, & eruditione hominibus imperitis antecedit. Antecedere autem illum tantoq; alijs præzucere, quanto ipsi homines animi, rationis, ingenijq; dotibus animalia bruta superant & excellunt. Artes sunt igitur, uuenes, solæ hominis propriæ. Solo liberalium artium beneficio magis quàm uel ratione, uel oratione bruta uincimus. Quoniam & insectis, & quibusdam alijs esse rationem, & aues humanis loquacibus

uocibus experimur. Artes uero nullus psitacus, nulla  
 pica, nullus elephas imitabitur. Artibus igitur ani-  
 mos uestros & neruos intēdite. Artibus diu noctuq;  
 incumbite. Quid enim omnium artium mater SA-  
 PIENTIA, quid aliud quā diuinū donū, adeoq;  
 ipsorum Decorum inuentum est? Quae nos primum  
 ad religionem, deinde ad iustitiam & equitatē, tum  
 ad modestiā, magnitudinemq; animi erudiuit. Quae  
 per diuinas illas artes ab animo nostro inscitiam tan-  
 quā ab oculis nebulam & caliginem dispulit, ut  
 omnia supera, infera, prima, ultima, media uide-  
 remus. Hac tanta, tamq; sublimi uirtute quid us-  
 quā optabilius? quid praestantius? quid homini  
 melius? quid homine dignius? Ab huius studio  
 quisquā hominum tam uecors aut insanus erit,  
 qui sordida lucri caussa desciscat? Aut esse ne homi-  
 nes possunt tam deprauati, aut peruerso iudicio,  
 tam impudente, & inuerecunda fronte, qui ubi  
 tam admirabilis omnium rerum diuinarum & hu-  
 manarum, totiūq; naturae uis cognoscenda pro-  
 posita est, etiam questum insuper desyderent? Re-  
 uocate queso in mentem eam Rempublicam, quae  
 tempore Lycurgi apud Lacedaemonios erat, quan-  
 do nullus pecuniae, nullus auri argentinae usus erat.  
 An non putatis illos etiam homines fuisse? eque



E N C O M I V M

etiam aut non paulo melius ac nos niuere potuisse?  
 Nec apud Lacedaemonios solum, sed Indos, sed Tro-  
 ianos, sed Scythas etiam. Quos cum Philippus ui-  
 cisset, & uiginti millia puerorum ac foeminarum ce-  
 pisset, pecoris item magnam uim, auri argenti ue-  
 planè apud eos nihil inuenit. Pudebit nimirum, pi-  
 gebitq; uos beluarum istarum quoties illa cogitabi-  
 tis. Dicit, me hercule, uerbis nunquam potest, quan-  
 to odio reprehensione & uuperatione, quanta ex-  
 ecratione & detestatione digna hæc tam scædæ igna-  
 uæ turpitude, strennuo liberoq; & erecto animo in-  
 genui hominis mereatur existimari. Splendidissimas  
 optimarum scientiarum dotes non propter uenusta-  
 tem formæ conseruandam, non propter uires corpo-  
 ris augendas, non propter bona sanitatis & ualetu-  
 dinis tuenda, sed uilissimum lucrum, sed scelerum  
 & flagitiorum materiam, sed omnium malorum ir-  
 ritamentum pecuniam parandam relinqui. Eur-  
 poles olim quos grauissime uolebat ulcisci, diuitiis  
 obruendos putabat, ut manibus metibus, curis, ac  
 sollicitudinibus macerarentur. Quæquæso poena  
 nunc istos si uideret efficiendos iudicaret? qui quod  
 ipse grauissimum statuerebat supplicium, non modo  
 ut malum non horrent, sed ut summam uoluptatem  
 & bonorum fastigium tota mente uelut & remis  
 expetunt.

At

At uero, benignissimi auditores, ferenda fortassis aliquo modo, quamuis iniquissima literarum illa calamitas poterat uideri, si penes inertes & stolidas illas pecudes, & imperitos asinos constisset. Neque enim si ulterius progressa non esset, magnum adeo miraculum uideatur homines crassos & insulsos, qui uix inguinis & capitis, ut dicitur, discrimina sciunt, nobilissimas artes propter solam bonitatis & honestatis suae dignitatem non admirari. Sed eadem hac imperiue stultitiaeque larua personatos esse magnos etiam Sophos plerosque, quibus praesipientiae fastu & inani eruditionis persuasionem tantam non illa rumpuntur. Haec nullis unquam Satyricis aut inuestiuis satis detestanda dementia est. Quo enim alio doctissimi uiri, doctissimi iuuenes, quo alio nomine censendi uobis ueniunt. quidam nostro tempore Doctoreuli, prouidi uidelicet homines, quibus & in sapientissimo iuris, & elegantissimo medicinae, & quod nefas erat cogitatu, nedum dictu, in sacrosancto theologiae studio, nihil dies & noctes aliud in ore linguaque uersatur, ubi crebrius dicitur, scribitur, aut clamatur, quam illa, utique sic loquar mendicantis uox De pane, De pane, De solo pane lucrando. Digni per loquem, per omnes omnium artium praesides deos ac deas digni erant, quotquot

E N C O M I V M

sunt huiusmodi lucratores, qui perpetuo nihil aliud quam scenum pro pane cogerentur esse. Scilicet hic est acutissimus ille stimulus, quo nobiles & ingeniosos studiosorum adolescentum animi sunt ad incomparabiles iuris, medicinae, theologiaeque facultates excitandi. Scilicet hoc est uehementissimum classicum illud, quo ad certamen literarum fortissimus quisque miles est inflammandus. Hic scopus, haec meta, hic finis liberalibus ingenijs, & ad uirtutem natis est praefigendus. Hic fructus, hoc praemium, haec merces honestissimorum laborum proposita uel expectanda? Pudeat obsecro & pigeat uos, o integerrimi iuuenes, incorruptissimas aures uestras tam sordidis praeclearissimarum scientiarum aestimatoribus praebere. Sic Sartores, sic Sutores, textores & sillonnes artes suas uenditent. Sic Cerdones, et ruptarum crepidarum refectores opificia sua laudent. Sic Cupediarij caupones & lenones quaestus suos praedicent. Artes nobilissimas inquam, artes cum potissima animi dotes sint, tanto bonis corporis & fortunae praecellentes oportet, quanto animus corpore praestantior est. Diuitiae quae ne conferendae quidem cum tam eximiarum mercium precio, atque ut prouerbio dicimus, Ne decima quidem Syracusanorum pars sunt, non solum hinc non praecipue querenda

## L I T E R A R V M

de, uerum etiam ultrò si affluant non diligendæ uel  
 amandæ, sed ne cogitandæ quidem sunt. Proh deum  
 immortalẽ, posse ne quenquam adeo desperatum  
 uiuere, qui in tam innumerabili & oculis non com-  
 prehensibili hominum multitudine, quos diuino mu-  
 nere quotidie uidemus ali, se quod edat aut bibat ha-  
 buurum, diffidat. Quin ille, dum unus obulus ad-  
 huc superest ilico restim emi, & insatiabiles istas  
 fauces & inexplebilem gulam strangulat & suffo-  
 cat. Quod si qui merces uitiant, aut adulterant nu-  
 mismata, supplicio digni per leges decernuntur, siq;  
 puniuntur qui mentiendo uel obtrectando non-  
 nihil hominis alicuius opinioni uel fame detraxe-  
 rint. Quas non merebantur pœnas isti, qui lauda-  
 tissimas & sincerissimas artes tam turpiter & ig-  
 nomiosè pro leui ac uili quæstu uitiantes, pro lu-  
 crando pane uenales prostituunt. Hi nimirum sunt  
 de quibus sapientissimus ille rex Solomon dixit, Qui  
 festinat ditari, non erit innocens. Respicit in iudicio  
 personã, & pro bucella panis deserit ueritatem.

Præterea, si omnino De Pane lucrando tanto-  
 pere sollicitos esse oportet, quin exercere potius  
 mercaturam, unde non modo sat panis, sed plus  
 quàm sat piperis, croci, cynamomi, reliquorumq;  
 omnium aromatum suppetit, quàm eximias adeo

E N C O M I V M

& gloriosas disciplinas pro sua libidine cauponari  
 discunt? Et hercle quandoquidem lucrum querere  
 in animo est, nusquam illud citius, nusquam ubertius,  
 nusquam minore labore ac industria, nusquam ma-  
 gis propitio deniq; Mercurio, quam mercimonijs  
 peregrinis importandis ac reuendendis inuenitur.  
 Quid enim insulsos illos panarios lucratores piloue  
 ego sordidissima mercatorum & institorum fece  
 meliores putem? Nil dico durius, sed utinam non  
 sint deteriores. Si habitum enim qui caustidicū uen-  
 dit mutes, & animos eorum nudos spectes, male  
 uereor, ne quisquis æquus iudex es, longe infra om-  
 nes infimos homines, & hostiatim quoque panem  
 mendicantes eos collocaturus sis. Nam qui hac lu-  
 erandi panis æsca captus ullam disciplinam hone-  
 stam sequitur, neq; eam propter coniunctæ uirtutis  
 finem sic amat, ut si nullus inde teruncius accede-  
 ret, unquam tamen eam prosequi uellet, eum nun-  
 quam fore quem se profitebitur credatis. Etenim ne-  
 que quicquam prorsus à uilissimo quoq; cerdone  
 differet, neq; alio loco literas aut artes quam uel su-  
 tor corium, uel Cerdo pelles habebit, uendet, re-  
 uendet, ubicunq; cuiunq; quocunq; modo, quo-  
 ties, quantumuis exigua spes dolosi resfulgeat num-  
 mi, nihilq; deniq; pensi præter solam habebit pecu-  
 niam,

## L I T E R A R V M

niam, pietas, equitas, sanitas, lucro seruire cogentur, quatenus id non sperabitur, nihil operæ adhibebitur. In summa quod dicitur, Nihil erit sani. Non quidem inficias eo iureconsultum aut medicum honeste diuitem esse posse. Cur enim qui bonis literis bene institutus, omnibus rebus bene didicisset uti, opibus etiam recte frui non posset? Sed hoc atque, professiones illas artium tam sublimium nobiliores & excelsores esse, quam quæ propter uilissimam mercedem pecunariam sint uel discendæ uel expectandæ. Nec porro mihi quisquam hic lucripetarum illorum obganniat. Nihil interesse uel referre quo nomine uel titulo iuuentus ad discendas facultates illas alliciat, dummodo discantur. Plurimum enim auditores, quod hos ipsos clarissimos uiros, celeberrimos harum professores, hic circumfidentes testor, plurimum refert. Testabuntur Theologi, testabuntur legum, medicinarumq; consulti, neminem uel sincere docere, uel fideliter consulere, uel diligenter mederi, uel ullum deniq; artis suæ officium recte facere posse, nisi uirum integrum, & ardentissimum, summæ honestatis amatorem. Quid enim quid in rabulis & circulatoribus illis quibus animus totus in crumena est, quid in illis bonæ mentis obsecro quid esse credam. Quos si ad uuiū excutias,

E N C O M I V M

quibus si cutem ut serpentibus leberidem detrahatur  
 nihil plus inuenias integritatis aut bonitatis in illis  
 quam frugum in terra spinis ac sentibus occupata.  
 Nam quomodo ille rectum uitae suae cursum teneat,  
 quem impetuosisimus auaritia fluctus, & sensu-  
 ma lucri procella ui abreptum ac transuersum tan-  
 etant. Cuius etiam somnos & illa per quietem uisa,  
 impotentissimae sordidarum cupiditatum cogitatio-  
 nes perturbant. Nihil est, nihil usquam est tam occu-  
 patum, tam multiforme, tot ac tam uarijs affectibus  
 concisum ac laceratum quam mala mens. Atque ut  
 unus & item alter sumat interdum uultum boni ui-  
 ri, & aliquandiu se frugi simulet. Esto tamē, ut pri-  
 mum in periculum uenire, pecuniam timebit, redi-  
 bit ad ingenium, & ut prouerbio dicimus uerissi-  
 mo, Semel scurra, nunquam paterfamilias. Non im-  
 merito sanē Quintilianus auersatur lectorem sibi  
 dari quid studia referant, cōputaturum. Ipsam enim  
 eloquentiae imaginem mente concipi uult, & regia-  
 nam rerum orationem ante oculos poni, fructumq;  
 non ex stipe aduocationum, sed ipso animo & con-  
 templatione ac scientia peti, eumq; perpetuum,  
 nulli prorsus fortunae subiectum. Porro quam aliena  
 eausam si haec non est, esse putatis, Eximij Viri, cur

aut

## L I T E R A R V M

aut tot in omnes disciplinas ineptiæ, tamq̃; nefarij  
 abusus inuchantur, aut tam præpostero ordine  
 omnia nunc ab Adolescentibus discantur. De prior  
 re uitio ineptiarum & abusu, quoniam totus hic  
 dies mihi non sufficeret, ne uel beneuolentia uestra  
 nimis abutar diu, uel ineptius ipse uidear, qui tem-  
 poris rationem non habeam, nunc dicere superse-  
 deo. Quanquàm quid & quantum dici non possit  
 solum, sed merito debeat, ipsi, ni fallor, qui cum his  
 monstris, tanquàm lernæis hydris quotidie consli-  
 ctamini, melius quàm fortasse uelletis, intelligitis.

De altero, quoniam non alia in re hodie fre-  
 quentius peccatur, & nihil emendatu magis neces-  
 sarium est, paucissima quidem ea qua hucusque fa-  
 cilitate uestra me tulistis, ut dicam, permittite. Ut  
 qui domum edificaturus est, primum materiam ru-  
 dem cædit, dedolat, leuigat, & expolit. Deinde calo-  
 cem conuehit, & aquam, & harenam, lapides item  
 quadratos, & ad normam excisos, & cœmētā, qui-  
 bus ad facturam utatur, & lapides etiam ordina-  
 rios, sic enim uocantur, qui non ad perpendicu-  
 lum respondent, sed tamen ordine coagmentan-  
 tur. Posthæc fabricæ manus admolitur, fundamen-  
 ta iacit, & ingentem sub sydera molem extruit.



ENCOMIVM

Prostramo tectum, supremumq; imponit fastigium.  
 Sic omnino credite mihi iuvenes, res nostra cum sit  
 dijs literarijs habet, necesse est, ut qui uelit non ri-  
 dendus in quacunq; studiorum facultate artifex eua-  
 dere, primum diligenter discat orationis uim, & in-  
 telligat, & recte, prudenter, apteq; dicere pos-  
 sit, eaq; usu & exercitatione firmata in promptu  
 habeat. Quid enim ut setas, ubi fornax sit calcaria,  
 & quantum calcis opus edificaturo tibi sit, si non  
 cum usus postulat, ad manum habere possis. Præ-  
 paranda mox & morum priuatorum, & domesti-  
 corum, & publicorum rectæ rationis respondens,  
 gnomoni cognitio, quam partem Philosophi uocant  
 ἠθικῶν. Nec interim negligenda φυσικῶν, cæli, na-  
 turæq;, numerorum, ac magnitudinum scientias tra-  
 dens, quibus omnibus ante paratis, & bene pro-  
 spectis, ita tandem uel angustissimum Theologiæ,  
 uel splendidissimum iuris, uel admirabile Medicina-  
 rum edificium superstruas. Hoc solidum deinde per-  
 fectumq; poterit cum laude spectari. Iam dum aliis  
 sumptus ad eam rem deesse queritur, alium tempo-  
 ris, alium laboris piget. Quid sit? Lignum distor-  
 tum unum atq; alterum uix prima ex artium sylua  
 queritur, his obiter & hianter conglutinatis, &  
 in ha

## L I T E R A R V M

in harenam de paelis, altissimam statim Medicinarum, uel Legum structuram imponunt. Sed quid efficitur? Casa uentis & pluuijs undiq; peruisa pauperis & tuguri congestū cesspue culmen, quod luxatis imposturæ contignationibus ilico corrui-  
 Deinde sulciunt, sartiunt, oblinunt, incrustant, nul-  
 loq; modo secum habitare norunt. Nec fallit parœ-  
 mia: Qui nimum properat, serius absoluit. Es-  
 itē altera: Canis festinās, cæcos parit catulos. Age  
 igitur, quisquis sapere cupis, alieno periculo di-  
 sce, domumq; cum ædificas, fideliter & recte mo-  
 nenti Hesiodo morem gerens, ne relinquant imper-  
 fectum, ut sit opus fortasse longiore mora. Cogi-  
 tes arbores magnas diu crescere, nihilq; repente  
 summum effici. Propter hoc nempe sunt certi à ma-  
 ioribus nostris non incogitanter instituti gradus,  
 ijsq; gradibus suas decreuerunt laureas, ut eis qui  
 primam Philosophiæ partem, quæ dicendi artes  
 continet, foeliciter didicissent, primam: eisdem si  
 reliquas Physices, & Ethices partes pari dexte-  
 ritate coniunxissent, alteram. Hos ita laureatos  
 tandem percipiendis altioribus scientijs aptos pu-  
 tabant. Et sanè quidem omnes res, ipsaq; adeo na-  
 tura constat ordine. Quo confuso, necesse est peri-

E N C O M I V M

re omnia. Iam uide, quàm prudenter isti panis lu-  
cratores nihil referre putent, quo ordine uel tem-  
pore summa studia discantur, interim ignaram u-  
uentutem misere adeo fallentes. Vis uno uerbo di-  
cam, quanta sit istorum prudentia. Nihilo me her-  
cle maior, quàm Morionis illius in Saxonia. Qui  
quoties in culinam Principis ex more ligna ferre ut  
bebatur, ea ex infima strue reuellebat. Ordine igi-  
tur quæ prima sunt in suprema strue, liberales ar-  
tes dicendi, rerum naturæ, & mores primum ad-  
prehendantur, & prima cæmenta, rudimentaq;  
primum parentur. Post omnis ad Medicinam, ad  
Ius, aut ad quod quenq; sua natura maxime non  
quæstus amor fert, lapis mouendus. Neq; uero plu-  
ribus ad hunc ordinem obseruandum, sed paucio-  
ribus certe quàm cum nihil suo neq; loco, neq; tem-  
pore comparatur opus erit sumptibus. Desidia,  
ignauia, & inertia, non inopia, uel penuria te pi-  
ger impediunt. Vnde sufficiebant olim sumptus ad  
Sophisticen, totis annis XX. discendam, ad li-  
bros sexcentos quàm nunc pluris emēdos, ad mer-  
cedem præceptoribus pro lectionibus, quæ nunc  
munificentia Principum gratis leguntur, persol-  
uendam. Nempe parcius, ac frugalius uiuebatur,  
plus

plus oleo quàm uino impendebatur . Cum sale panis latrantem stomachum bene leniebat . Multa tulit fecitq; puer , sudauit & alsit , Qui cupiebat optatam cursu contingere metam . Eadem si tu facias nunc , aut facere cogites , nunquàm propter sumptus ordinem studiorum tibi turbandum esse conqueraris .

Ast , ut tandem desinam uobis esse molestus , beneuolentissimi Viri , facessant hinc , & in solas insulas deportentur omnes isti literarum ignauissimi contemptores , quos in uiam reuocare uelle , quid est aliud , quàm quod aiunt , Aethiopem dealbare . Quorum auara pectora sic auri sacra fames obsedit & expugnauit , ut nihil neq; cogitent , neq; curent , neq; cupiant aliud , quàm quod lucrum redollet . Quibus nulla scientia tam honesta , digna , excellens & sublimis esse potest , quam non ad indignissimum panis lucrandi quæstum deprauent . Ne illi satis superq; suæ stoliditatis quotidie pulchre poenas luunt , dum balbi , stupidi , rades , inepti , neq; natate , neq; literas docti quoties in eruditos uiros incidunt , nihil aliud quàm ridendos se præbent . Digni qui potius ad stiuam , ne dicam ad coruos relegentur , aut ad fodiēda metalla damnentur .

E N C O M I V M


tur, quàm qui tam ignaui & crassi asini & onagri  
 tanta portent mysteria. Qui neq; quid sit eruditio  
 neq; quò pertineat, neq; quid homini præstet, neq;  
 adeo quid ipse sit homo, quantam supra pecudes  
 illius nobilitas ac dignitas, quæ uic causa, uel quo  
 nomine, quodcunq; tandem studium, uel artium,  
 uel facultatum disci, sciri, tractari uic debeat, no-  
 uerunt. Valeant isti, ualeant insulsissimi panis lu-  
 cratores, & cum Rabulis ac circulatoribus, &  
 graculis, & subus, & gallis, & asinis, uel usq;  
 dum regnum obtinet iupiter blatterent, peierent,  
 garriant, coenum, grana, stramina, nardo, gem-  
 mis & auro præponentes. Clamitent sanè uel ad-  
 raum usq; de pane lucrando. Tamen hoc scio nun-  
 quàm plus eis hanc meam sententiam displiciturã,  
 quam uobis integerrimi Viri confido placituram.  
 Quos ergo tam candidis, erectis, & generosis  
 animis esse uideo, ut hæc studia, quæ nunc profi-  
 temini, nisi uos ad illa tum uirtutis amor, tum na-  
 tura uestra tulisset, nunquàm sola quæstus gratia,  
 non dicam uel discere, uel docere, sed uel respice-  
 re quidem dignati fuissetis. Agite adolescentes,  
 hos doctissimos senes, & unica Scholæ nostræ de-  
 sora, tot graues & claros uiros intueamini. Ho-  
 rum nemo

## L I T E R A R V M

rum nemo est qui liberales artes non & ab incun-  
 te ætate diligenter ordine suo, quantum per id  
 tempus licuit, olim didicerit, & etiamnum, utut  
 grauibus studijs occupatus, amet & ueneretur, et  
 uos item sedulo discere cupiat & hortetur. No-  
 lite, Ingenui Adolēscētes, & hac tenera & pri-  
 ma lanugine uestra tam corruptos mores induce-  
 re, ut alacritatem illam animi uestri nunquā re-  
 cuperabilem, & letissimum iuuenilis æui florem  
 foedissimo quæstus aucupio, & senibus etiam de-  
 testandæ lucri cupiditati potius, quā poluisti-  
 mis & liberalissimis omnis humanitatis genitri-  
 cibus elegantissimis Musis impendatis. Non hoc  
 florens illa ætas uestra, non generosa indoles, non  
 innata liberalitas, non animus, non mens, & ab  
 omnibus auaritiæ sordibus alienissima uoluntas ue-  
 stra permittere debet. Inclytas ergo literas & in-  
 genuas artes, nobilissimasq; disciplinas, quibus  
 nihil neq; augustius, neq; admirabilius in rebus  
 mortalium diuina prouidentia terris dedit, obuijs  
 ulnis, alacri fronte, toto pectore dies & noctes  
 amplectamini, colite, ueneremini, sequamini.  
 Quæ solæ uobis nunquā intermōturam glo-  
 riam & laudem, & apud præsentēs, & apud

posterorū parient. Solæ famam, nomen, authorita-  
tem, dignitatem, decus, conciliabunt & auge-  
bunt. Solæ patriæ uestre præsidio, ciuibus uestris  
auxilio, parentibus solatio, cognatis & affi-  
nibus gaudio, decori, & utilitati, toti fa-  
milie uestre honori & ornamento.  
to. Vobis deniq; ipsis per-  
petuæ sinceræq; dele-  
ctationi uolupta-  
tiq; futuræ  
sunt.

HAGANOÆ IN OFFICINA  
IOAN. SECERII, AN  
NO. M. D. XXX.  
Mense Martio.








cu mxt n

no p q at hica pades u p p q u  
Lij M



2803 - 85.

